

QW. 532, 24.

I. N. J.
De

B. m. II, 649

II b
12

IMPOSITIONE NOMINUM,

X1860582

Inclutæ Facultatis Philosophicæ

Consensu,

PRÆSES

M. JOHANN-GEORGIUS

FRANCK,

ILEBURGENSIS,

&

RESPONDENS

JOHANNES BOSSEK,

Gaudic-Misn.

Phil. & B. A. Baccal. & SS. Theol.

Stud.

disputabunt.

Die XIV. Decembris Anno M. DC. LXXXIX,

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Excudebat CHRISTIANUS SCHOLVINUS.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

9 57



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





PROOEMIUM.

Non adeo multum præterit temporis, cum Novellæ, uti vulgo dicuntur, Ordinariæ, non paucorum votis expectatam Romani Pontificis Electionem, superatis tandem tot tantisque singularum factionum difficultatibus, ad finem esse perductam nunciarent. Sed, præterierit quamvis hocce tempus, licebit tamen, B. L. ea, quæ circa eandem observantur, paucis repetere. Inter illa, quæ noviter creato Pontifici maxime solent esse commendata, Mutatio Nominis jure censei debet, quam mutationem, tam sancte hætenus observatam fuisse, ut fere ab omnibus comprobata sit, experientia sufficienter docuit. Postquam enim (ut, quæ antecedunt, ceremoniarum brevibus mentione injiciamus,) jam nominatus Pontifex Electioni, quæ à tribus à Cardinalium numero ad hoc negotium exequendum speciatim denominatis indicatur, brevi præmissa precatone verbo *Accepto* consensit. (Tantum enim abest, ut de multis unum invenias, qui summam hanc dignitatem recusaverit, ut potius non paucos deprehendas, qui innumeris artibus eam ad se rapuerint; magnus illorum numerus in Annalibus temporum consignatus extat, qui ingentes pecuniæ summas comparandi voti gratia clam profuderunt, & summis muneribus, quæ sibi invicem promittunt, hanc editam dignitatis arcem expugnarunt. Ut chartæ parcam sit exemplo unica tantum fraus instar omnium, ex qua egregius ille & divinus scilicet modus ad cathedram Papalem perveniendi, sole meridiano clarius patebit. Sic *Bonifacii IIX.* qui maleferiatus homo cum Pontificatum expectationi suæ ereptum & *Cælestino V.* traditum esse intelligeret, hanc fraudem excogitasse fertur. Scilicet, ut per-

A 2

svade.

Invaderet dicto jam Cœlestino, ipsum omnino impatens esse, tanto muneri administrando, substituit ergo aliquem, qui Pontificem, in cubiculo facto foramine, per fistulam media nocte his verbis deluderet: *Cœlestine, Cœlestine, cede: negotium enim supra vires est; quæ fraus certe tam bene cessit, ut Cœlestinus se abdicaret Pontificatu & Bonifacio huic vafro & callidissimi ingenii viro relinqueret.* Postquam, inquam, electioni consentit, a Cardinale decano rogatur, ut Nomen sibi eligat. Quæ vero mutationis hujus sit ratio, & cui in primis origo sit tribuenda, de hoc varios varie sentientes in ipsa Ecclesia Romana, deprehendes. Abeunt autem in quatuor præcipue partes, qui de origine hujus ritus scripserunt: Quidam enim *Sergium II.* alii *III.*, alii iterum *IV.* hujus nominis, & nonnulli denique *Johannem XII.* ejus mutationis faciunt Autores. Plerique tamen *Sergio II.* tribuunt hoc inventum, de quo perhibent: quod ob Nominis obscœnitatem & turpitudinem, (erat autem *Bucca Porci* vel *Os Porci*) hanc mutationem adsumserit. Quam sententiam qui defendunt, citant in primis, ut rei veritatem faciant, *Polydor. Virgil. L. IV. c. 10. Joh. Baleum de Actis Roman. Pontif. & alios* quamplurimos. Interim tamen non desunt qui his contradicant, inter quos præ reliquis eminent *Anastafius Bibliothecarius ap. Baron. in Annal. Ecclesiast. Tom. X. ad annum 844.* qui Autorem vult *Sergium III.* causam mutationis sequentem adducens: Quod ex reverentia erga primum, quem firmiter sibi persuasum habent Pontificem *Petrum*, nomen quod cum hoc habebat commune deposuerit. Sed *Baronius* his singulis aperte contradicit *l. c. ad annum 955 Johanni XII.* (ante electionem Octaviano dicto) mutationem hanc adscribens. Et huic postremo adserto qui subscribunt inveniuntur; huc refer *Onupbrium Panpinium in Not. ad Sergium II. Platina,* cujus verba liceat transcribere: *Quæ hic Platina, inquit, ex Martino tradit, Sergium II primum fuisse, qui nomen mutaverit, apud æminem veterum auctorum inveni, imo ex Anastasio Bibliothecario, qui hoc tempore vixit, magis elicitur, cum scilicet etiam ante Pontificatum Sergium vocitatum esse. Forte Sergii Prænomen semper habuit, Os porci autem Cognomen, & Pontifex factus, cognomen prænomine tantum retento, omisit. Sed ista nec sic concinnata mihi quadrant. Johannem XII ego primum inveni, qui primum nomen, Papa creatus, mutavit, cum ante Pontificatum Octavianus diceretur.* Verum-

Verum enimvero his omnibus suum calculum denegat
Richardus Montacutus in Origin. E. clestast. P. I. Sergium IV. toties
hactenus nominatae mutationis constituendo Autorem. Sed
quoniam Scriptores invicem non conveniunt, nec ego eos-
dem conciliabo, praeripis cum destituar quorundam monu-
mentis, allegationi ideoque aliorum fidem habens. Interim
cognoscimus eorum rationes, quibus hanc tam religiose obser-
vatam nominis mutationem defendere conantur. Ex illa-
rum autem numero primum sibi vendicat locum haec: quod
Christus Simoni nomen mutaverit, cum eum vocaret ad Apo-
stolatam, *Job. I. 42.* ad quod argumentum prolixè respondet
Glassius in Philolog. S. L. IV. Tr. III. p. m. 984. ostendendo: Non
esse factam totalem nominis mutationem quam *Bellarminus* ur-
geat, sed tantum cognominis impositionem, quod probat tum
ex *Act. c. X. 5. 32.* *Accerse Simonem, ὃς ἐπικαλεῖται, qui cognominatur*
Petrus, tum ex eo, quod *Petrus* à se ipso & ab aliis post illud tem-
pus *Simon* adpellatur. *Act. XV. v. 14. II. Pet. I. v. 1.* & ipso Christo
Matth. XVI. 17. Luc. XXII. 31. Job. XXI. 15. 16. 17. Ad haec, nec soli Pe-
tro hanc ἐπικλησιν contigisse memorat, sed & aliis Apostolis,
sicut exemplis *Johannis & Jacobi,* filiorum *Zebedæi* clarum est,
quos vocavit *Βοανεργές* filios tonitruï. *Marc. III. 17.* Vide *Auto-*
rem ipsum l. c. Hinc duas adhuc alias superaddunt rationes:
prior est, quod turpe aestiment, eum, qui ad tam honestum of-
ficiam promoveatur, turpi nomine adpellari, v. g. si quis Ma-
lefici nomen sceleribus suis antea meruerit, post haec *Bonifacii*
nomine superbiat; posterior, quod vita perfectior aliud et-
iam nomen requirat. Sed negent, & rubore simul non suf-
fundantur, quod prius sapius non atque, imo magis pium atque
decorum fuerit, quam quod in Pontificatu adsumtum est?
ostendant nomen ad tantam functionem rite administrandam
quicquam contribuere? Certe nec unum ex utroque poterunt.
Dein alterum argumentum quod attinet, experientia abunde
satis testata est de egregia, si diis placet, atque perfecta illorum
vita. Hic etiam obiter noto illud, quod nuper in evolutione
Libelli, cuius Titulus *Der Cardinal Hut/observavi;* scilicet:
ubi Autor *Clementis VII.* quem anno 1523 die XIX. Novembr. ele-
ctum esse refert, mentionem injicit, simul indicat: quod hic
electus Pontifex primo nomen, (erat autem *Julii*) mutare re-
cusa-



culaverit, sed postmodum tali argumento hujus ceremoniæ
observationem Cardinalibus svadentibus, mutarit. Erat
vero hæc: illos Pontifices, quæ suum nomen retinuerint, ne
quidem primum annum Pontificatus explevisse, ad summum
non adeo multum post annum superfuisse. Inde Axioma
ap. illos receptissimum: *Quicumq; Papa non mutat nomen, non diu
vivit.* Probant hunc Majorem exemplis, *Clementis V, Adriani
VI & Marcelli II*, qui singuli religioni duxerunt nomen muta-
re, nec de longiori vita sibi gratulari poterant. De ultimo
horum, nempe *Marcello* hæc responsio nota est, quam dedit
Cardinalibus nominis mutationem urgentibus: *Marcellus e-
ram, ero Marcellus, nec nomen mutabit, nec mores Pontificatus.* Co-
ronidis loco adponam verba consummatissimi Theologi Dni
D. Philippi Mülleri, quæ habet in *dissertat. super dictum Luc. X. v. 20.*
Postquam enim satis eleganter de mutationis hujus origine
ejusq; rationibus egit, sequentia superaddit: *Si malint Papico-
la multitudine rationum triumphare, nos ipsis liberali manu addimus
adhuc aliam; scilicet privilegium, quod olim publica meretrices habu-
ere: hæ enim dum fornicationis licentiam apud Aediles expetebant,
nomina mutarunt, ubi docet Taubmannus ad Plautum Pæn. Act. 5. Sc. 3.
& Pet. Pappus in Unmercung zum Holländischen Krieges Recht Art.
69. p. 187. Die Huren pflegten ihre Nahmen zu ändern; quidni meretrix
Babylonica gaudeat eodem privilegio Apoc. XVII. 5.* Sed ne prolaxi-
or sim in Præfatione quam in ipsa dissertatione Lectorem remit-
to ad Dni *D. Job. Fridr. Meyeri Dissutat. de electione Summi Pontifi-
cis*, nihil amplius addens, quam verba *Ambrosii* quibus contra
Auxentium Arrianum, *Mercurini* nomen adfectantem, usus
est, eadem & hac vice contra Pontificios quoad partem addu-
cens: *Unum portentum, inquit, duo nomina: etenim, ne cognosca-
tur, qui esset, mutat sibi vocabulum Auxentius Arrianus Episcopus, ad de-
cipiendam plebem, quam ille tenuerat, se vocavit Mercurinum. Muta-
vit vocabulum, sed perfidiam non mutavit, exiit lupum & induit lu-
pum, nihil prodest, quod mutavit nomen, quis sit, agnoscitur.* Sed de-
finam præfari à Mutatione nominis, gressu retrogrado, ad
ipsam impositionem in genere perveniens. In eo autem o-
mne quod videbis, absolvetur, ut primo loco ostendam: quis
sit, Cui competat impositio nominis, dein sollicitus ero de
subjecto cui imponatur, post de ipsis nominibus, & deniq; de
Impo-

Impositionis fine. Accedent autem annotationes quædam, de tempore impositionis, imo etiam adhuc nonnulla de mutatione nominis. Accipe autem L. B. hæc singula manu benevola, iudica fronte serena, Numen vero Summum, in cuius nomine hic labor initium sumpsit, ulterius sua gratia nobis adsistat, medio etiam atq; fini ex alto benedicat.

§. I.

NE vero leges disputantium plene neglexisse videar, brevibus annoto: Nomen *Festo* idem esse atq; *Novimen*, quia notitiam faciat; nam per id, quo quid nominamus, agnoscitur. *Augustino* vero est quasi *Notamen*, quod rem notat; nomina enim sunt sicut notæ rerum.

§. II.

Varias autem huius vocabuli acceptiones non opus est ut è longinquo petamus, suapte sponte sese offerunt. Et quidem 1) non dicam de Grammatica consideratione, quod primam Partem Orationis notet, vel puero enim constat. Sed 2) potius indicabo, quod famæ significatum sibi vendicet. Inde *Virgilius II Æneid. Et nos aliquod nomen Decusq; gessimus.* 3) ponitur pro causa: exemplo sese sistunt verba *Ciceronis IV. Verr. Inspiciebamus Syracusis à Carpinatio confectas Tabulas societatis quæ significabant, multis nominibus eos homines versuram à Carpinatio fecisse, qui pecuniam Verri dedissent.* Et alio loco: *Ab amicitia Quinti Pompeji meo nomine se removeant, ut scitis.* 4) Accipitur pro debitoribus. Hunc in modum, inquit *Budaus*, ponitur pro debitoribus, vel pro syngraphis creditarum pecuniarum. Inde illud proverbium ap. *Columell. l. x. c. 7. Vel optima Nomina non adpellando fieri mala scenerator Alphius verissime dixisse fertur, i. e. quamvis locupletes habeas debitores, tamen si diu ipsis iudicium non dixeris, usurasq; non petieris, mala tandem fieri, scilicet ipsos non solvendo tanto eri alieno fieri: sicq; inanem tandem persecutionem & nomina ipsa cassum factum iri.*

§. III.

Et hæc de variis ejus acceptionibus dixisse sufficiat, reliquas enim ut in scenam producamus, prohibet chartæ angustia, imo præter rem etiam esset, cum scopo nostro utpote minus propriæ non inferviant.

§. IV.

§. IV.

Propriam potius significationem evolvere è re nostra erit, quod ut fiat, legamus *Ciceronem* l. i. de *Invent.* ubi definit Nomen ita; quod sit id, quod unicuique personæ (rei) datur, quo suo quæque proprio ac certo vocabulo adpellatur. Platoni nomen est Ὀργανον διδασκαλικόν, διακριτικόν, teste *Micralio* Lex. Phil. Titul. Nomen.

§. V.

Nominis autem vocabulum Dissertationi dum inscribo, idem in generaliore significato sisto, dicens: Agnomen & Cognomen simul sub eo contineri, quo in sensu accipe sequentia ap. *Ciceronem* de *Invent.* L. II. Nomen cum dicimus, Cognomen quoque & Agnomen intelligatur oportet.

§. VI.

Exposito itaque Subjecto, tribus adhuc circa ejus Prædicatum, nempe Impositionem, aliquid monebo. Non sufficere quoad Agnomen, ut ejus impositio ab uno atque altero fiat, sed à pluribus necesse est. Alias enim quam facillime posset evenire, ut injustissimo ab adulatore nomen Justissimi attribuatur.

§. VII.

Progredior itaque ad ea, quæ magis ad rem faciunt. Ast hinc commodè præterire non possum divisionem nominum. Scilicet Nomen est vel *Gentilitium*, quod quis a gente habet; vel *Prænomen*, ut *Lustricum* quod præponitur *Gentilitio*, vel *Cognomen*, ἐπώνυμον, quod postponitur, & hoc discernendis familiis inservit, vel *Agnomen*, quod ultimo additur, Φερώνυμον, ab opera præstita sive rebus gestis. Verum enim vero quem fugit *Gentilitium* apud nos ferè cessare? certe, neminem. Neque hoc prætermittendum, quod nomina dicta simul sumta Nobilibus saltem apud Romanos decori fuerint. Servis enim unicum tantum concedebatur nomen, de cujus impositione infra §. 17. dicetur. Acceperunt vero illud, ut, occasione data, sequentia statim annectam, sive à Natione, unde eorum origo, sive à Qualitate atque Ministerio; sed cum manumitterentur primo additum est aliud nomen, nempe Patroni; hinc in Actis Apostolorum *Claudius Felix* & *Claudius Lysias*. Græcos unico nomine fuisse contentos, evincit *Montacutius* in *Origin. Ecclesiast.* P. I. v. g. *Themistoclis*, *Miltiadis Aristotelis* &c. Idem probat de Ecclesia Orientali apud ipsos Christianos, quamvis quidem non inficiari possit, quod Cognomina quandoque, adde

adde etiam Agnomina, inter eorundem nomina inveniantur. Sic *Dionysium Areopagitam* à professione priori in Paganismo adsumfisse nomen: erat enim Athenis in Areopago iudex, *Ignatius* vocatur *Theophorus*. Contra in Occidentali Ecclesia, ulterius demonstrat, frequentiora fuisse & Agnomina & Cognomina, v.g. *Lucius Cælius*, *Lactantius Firmianus*, *Quintus Septimius* &c.

§. VIII.

His ita prælibatis, quærimus, quis imposuerit primum nomina animantibus, & hic non possumus non auscultare *Platoni* in *Cratylō* è Schola Gentilium sapienter ita respondentem: Sapientia fuisse insigni præditum eum, qui rebus nomina imposuerit primus. Ast sapientius ab ipsa sapientia in Scripturis effatum est; in primo enim capite *Gen.* quot Argumenta deprehendimus, quæ singula probant sufficienter Deum primum imposuisse Nomina. Ideoque huic summo Numini, à quo omnes originem trahimus, origo etiam nominum jure meritoque tribuenda est.

§. IX.

Ast posteaquam ad imaginem suam Adamum creaverit, huic etiam in simul potestas concessa est nomen imponendi quibus velit. Id quod verba cap. II. v. 23. de Eva probant. Neque de reliquis dubitandum est animantibus, cum v. 19. clarissime de eis testetur. Ad quem locum inter varias, quas passim de hac impositione invenire licet fabulas, hoc etiam commentum recensetur, quod ex *Barcepha* refert *Müllerus*: Adamum voce, quæ sensu percipi audiri que posset pronunciata, singulis speciebus animalium nomina indidisse, tum ipse in editiori colliculo præ Paradiso sederit augustâ amictus majestate, & splendore, quem habitu præ se tulerit, solis radios superante, animantia vero submissis capitibus prona, neque præ nimio splendore intueri audentia singulatim præterierint, v.g. cum tauri civerit nomen, ille, audito suo nomine, transiverit coram illo, capite demisso, equus vocatus item, ita & asinus & cetera animantia, nomine audito, præterierint cervicæ submissa. Sed, uti facile patet, tacente Scriptura, circumstantias tam accuratas vix ac ne vix quidem posse determinari, ita & hoc quidem probabile est: animalia spontaneo quodam motu adducta esse, subjectionem suam eo ipso testantes. Neque enim video, qua necessitate urgeantur illi, qui hanc impositionem absque reali adductio-

B

ne

ne factam esse persuadere nobis student, quam sententiam amp lexus est *Cajetanus*, notante *Montacutio*, cujus sententiam sic allegat: *Moses*, ait ille, *Deum narrat adduxisse animalia ad Adamum, ut videret, quomodo ea vocaret. Manifestum autem est, non fuisse opus Adamo visione corporali animalium ad imponenda iis nomina. Talis enim visio nihil ad impositionem Nominis conferre poterat, sed opus fuit intellectuali visione, sine qua talis nominum impositio recte fieri non poterat. Non igitur corporaliter, sed intellectualiter ad Adamum adducta fuisse intelligere oportet. Imo fundamento destituuntur omni, qui piscium vel aliquos ab hoc imperio, vel omnes ab impositione nominis excipiunt. Eorum rationes ut adducam opus quidem non est, adfero potius quoad imperium, opponimus *Gen. I. 28.* & quid, Deo jubente, adductionem impedire potuisset? Præprimis cum non pauci sint, qui Angelorum ministerio in hac adductione Deum usum esse, credant. Sed ne diutius quam par est his inhæream, conferre saltem placeat *Chrysostomum in Homil. XIV. in Genes.* hunc in modum scribentem: *Quomodo illa representatio fieret, dicant, si possunt, si tamen possunt probare quod dicunt. Adducta erant, quæ adduci poterant, & coram homine sistebantur: hic opus erat reali & visibili συναγωγή: Quæ autem nullo modo congruo adduci poterant, per intellectum representata, nomen fortassis accipiebant & in dominium mancipabantur humanum.**

§. X.

Adeoque, cum hoc jus homini proprium factum sit, adhuc etiam inter nos obtinet. Ast si specialius quæramus, quis hominum cuique nomen imponat suum, aperte respondemus: ordinarie tum quoad Prænomen, tum etiam Cognomen, illud competere parentibus. Dixi notanter Ordinarie hoc jus in parentes cadere, Extraordinarie enim Deus ipse nostrum omnium Pater cœlestis nomina quandoque personis indidit. Quinque vero exempla numerat *Ursinus Quinquag. Festali p. 222.* 1) est *Ismaelis Gen. XVI. 11.* 2) *Isaaci Gen. XVII. 19.* 3) *Josie 1. Reg. XIII. 2. & 2. Reg. XXIII. 15.* 4) *Johannis Baptiste*, cujus nomen ab angelo *Patri Zachariæ* est indicatum, 5) denique ipsius *Servatoris nostri Optimi Maximi* nomen salvificum quod *Maria* imponere jubebatur; addunt alii *Cyrum ex Es. XLIV. v. ultim. it. XLV. 1.* alii *Samuelem* prioribus adjungunt ex *Psal. XCIX. 6.* quem à Mose decantatum crediderunt. Neque de summis magistratibus negari potest, quod nonnunquam cognomina dum nobilem personam quasdam vel addant, vel etiam leviter mutant.

§. XI.

§. XI.

Tribui haecenus parentibus impositionem nominis, sed an soli patri, an vero etiam matri possit concedi, de hoc Juris Naturæ Scriptores diverse sentiunt. Eò tamen omnis res recidit, ut patri primariam, matri secundariam adscribant. Ita Galatinus ap. Glassium L. III. c. 18. ubi illud Es. VII. 14. explicat: *Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabit Nomen ejus Immanuel*, scribit: *Ex eo quod vocabit nomen ejus Immanuel, Propheta dicit: Messiam ipsum non habiturum hominem patrem ostendit, qui ei nomen imponeret. Patres enim apud Hebraeos fere semper & non matres filiis nomina imponere solebant, ut ex V. T. multis in locis adparet, & ex nativitate Johannis manifeste colligitur. Ex hoc igitur, pergit, quod nominis impositionem, quæ ad patrem pertinebat, ad solam matrem Propheta retulit, aperte innuere voluit: Messiam patrem in terris non habiturum fuisse, qui nomen imponere possit. Quod etiam angelus insinuare videtur in eo, quod Maria dixit: *vocabis nomen Jesum, vocabis, ergo dixit: non vocabitur, ut cum Propheta se convenisse palam ostenderet.**

§. XII.

Imo ex impositione nominis Johannea res evidentius patet. Convenerant cognati & vicini, patris statu plane dolendo, matri ut succurrerent; sed neq; hæc sibi quicquam ab illis præscribi patiebatur, nulla erat ratio sufficiens, quæ mota in aliam, atq; semel conceperat, abiret sententiam. Inde factum est ut provocarent ad patrem, qui ut omnem litem dirimeret, tanquam ille cui jure competebat, nomen matris adprobando, suam simul potestatem ostendit.

§. XIII.

Sed ne unico hoc, quod extraordinarium forte dixeris, nisi videar exemplo; evolvamus locum quendam ex V. T. Gen. XXXV. 18. ex quo constat: Jacobum improbasse Nomen Benoni à matre filio impositam, eaq; de causa adsumsisse Benjamin, de quo vide Glassium p. 986. Ex abundantia superaddam etiam rationes nonnullas quæ patris potestatem vindicant. Ex quarum numero hæc certe non minimum sibi attribuit locum, quod pater dignior sit & sexu & dominio; ut taceam virum communiter & regulariter scemina sapientiosem præsumi, ex quo principio fluit, quod aptior etiam sit in eligendis nominibus. Accedit hoc, quod si contendant inter se imperia quoad liberos, patris præferatur. Ita Seneca: *Prima partes sunt patris, secun-*

de matris. Augustinus Epist. CXCI. Filius ex legitimis nuptiis susceptus magis est in patris, quam in matris potestate. Vide prolixius hæc omnia deducentem Grotium de J. B. & P. L. II. c. 5. edit. Simonis p. 199. Ubi simul improbatur Sententia Hobbes. de Civ. c. I. n. 3. & seqq. (qva matri originalem, patri vero derivativam adsignat potestatem) his verbis: *Aliud est matris originale officium, aliud patris imperium.* Paucis: Jus hoc imponendi non nisi speciali ex causa matribus potest concedi; nam cum impositio hæc domini argumentum sit, dicente Platone in Cratylo, quis jus imponendi ab eo separabit?

§. XIV.

Par ratio est in adsumendis cognominibus, eidem enim filii una cum matre, debent cognomen. Non enim memini de gente aliqua legisse, quod cognomen traxerint filii à matribus, nisi quod referat Ursinus c. l. apud Lycios à matribus nomen ducere posteros, ex ea ratione, quod fœminæ Bellerophontem placassent.

§. XV.

Longe aliter dignitatem virorum aestimabat apud Athenienses Cecrops Rex; vetuit enim ne quis nascentium maternum acciperet nomen. Hac occasione egregiam ex Augustino de Civ. D. L. XVIII. c. IX. liceat mihi transcribere fabulam: Dum in eo est, ut in originem civitatis Atheniensium inquirat, hoc modo sententiam Varronis inquit: *Nam ut Athenæ vocantur, quod certè nomen à Minerva est, hanc causam Varro indicat: cum apparuisset illic repente olive arbor, & alio loco aqua eripuisset, regem prodigia ista moverunt, misit ad Apollinem delphicum sciscitatum, quid intelligendum esset, quidq; faciendum; ille respondit: quod olea Minervam significaret, unda Neptunum, & quod esset in civium potestate, ex cujus nomine potius summorum Deorum, quorum signa illa essent, civitas vocaretur.* Isto, Cecrops, oraculo accepto, cives omnes utriusq; sexus (mos enim tum in eisdem locis erat ut fœminæ quoq; consultationibus publicis interessent,) ad ferendum suffragium convocavit. Consulta igitur multitudine, mares pro Neptuno, fœminæ pro Minerva tulere sententias. Et quia una plus inventa est fœminarum, Minerva vicit. Tunc Neptunus iratus marinis fluctibus exstantibus, terras Atheniensium populatus est, (quoniam spargere latius quaslibet aquas difficile demonibus non est,) cujus ut iracundia placaretur, triplici supplicio, dicit idem Autor, adfectas esse mulieres: ut nulla ulterius ferrent suffragia, ut nullus nascentium maternum nomen acciperet, ne quis eas à *Ἰουαίας* vocaret.

§. XVI.

§. XVI.

Et sic constat, solos Patres esse, quibus Jus competat etiam Cognomina imponendi. Excipetamen hic specialem, ex speciali causa, Principis permissionem, cujus Exempla allegat *Müllerus l. c. ex Zahn. de Mendaciis L. II. c. 63. v. 1. p. 273. de Familia Losoneziana & Wersersdorff.* Imò, nec ignotum erit Diploma Cæsareum, in quo ab Imperatore *Leopoldo*, eodem *Müllero* notante, Illustrissimo Comiti, *Johanni Alberto Ronnovio* conceditur, ut posthæc *Grafen von Ronnov und Bieberstein* salutentur. Mater enim è Liberatorum Baronum *von Bieberstein* domo erat oriunda, & familia in unum hæredem reciderat.

§. XVII.

Si non de eodem, simili tamen Jure olim Domini sibi voluerunt gratulari, servis suis cum inderent Nomina, cujus rei testimonia certè non anxie ut quæramus, opus est, ubiq; enim prostant. Ita *Drusus* ap. *Dilherr. Disp. Acad. Tom. I p. 160.* Solitos fuisse barbaros nomina mutare iis, quos peculiari ratione suo addixerunt vel obsequio vel servitio, quod non sine omine & certa ratione factum esse constat. *Chrysostomus Tom. V. Oper. fol. 286.* hunc in modum de Dominis refert: Quod nominibus pro arbitrio impositis servos emittios in signum translati dominii distinxissent. Et de Romanis Curiosi rerum indagatores observarunt, quod externis, quos urbe donabant, mutaverint nomen notante *Geiero in Daniel. p. 50.* Ex quo rectissime colligit, quod nominum impositio certissimum fuerit imperii herilis testimonium; ulterius autem hoc ipsum probat ex *Adamo Gen. II. 19. 20. ex Pharaone* vocante *Josephum Saphnatpanea cap. XLI. 45. in Mose* famulum *Hoseam* vocante *Josua Num. XII. 17. in Pharaone Necho Eliakimum* adpellante *Jojakimum 2. Reg. XXII. 34. in Rege Babel Madaniam* dicente *Zidekiam c. XXIV. 17.* sic *Nathanem* præceptoris munere fungentem mutasse nomen discipuli *Salomanis 2. Sam. XII 25.* & Christum discipulorum. *Joh. I. 42. it. Marc. III. 17* Addidit etiam rationes prioribus alias, quas ibi vide.

§. XVIII.

Scilicet hoc est fundamentum (quod dominii argumentum sit, impositio) ex quo *Justinus Martyr* ap. *Montacutium* negat: DEO ullum nomen proprium posse imponi, quod supremo nemo possit esse superior, neq; æterno prior, qui jus illud queat usurpare. Simili modo



modo rationem hanc adducit, quærens: Quare Adamus nomina non imposuerit cælo, terræ, soli, sideribus & supralunaribus elementis, sed Deus ipse rerum omnium dominus & creator. Non enim illa subiecit pedibus ejus, neque potest cælestibus imperare, verum inferioribus præfecit hominem.

§. XIX.

Pergendum itaque ad Subjectum, Cui nomen imponi solet, postquam vel uno verbo notavi: Agnomina omnium maxime à posteris dependere: loquor autem hic non exclusive, quasi inficiari velim ejusmodi claros viros dum adhuc in vivis essent, dictis agnominibus esse condecoratos.

§. XX.

Homines autem sunt, quos nominibus insignitos video, Deus enim atque angeli, quorum nomina sanctissima non sine veneratione in Scriptura S. legimus, sub considerationem hanc nostram non cadunt, neque brutorum nomina sub censuram vocabo, hoc indicans: inter ipsos homines fuisse *Atlantes*, qui usum istum nominum non habuerunt, teste *Plinio H.N. L.V. c.8.* Imo de *Bornis* refert *Scaliger*, quod illi eatenus saltem propriis utantur nominibus, quatenus ex proceritate aut lineamenti corporis aliisque notis commune nomen captent, *longos, crassos, ventricosos*, se invicem sua lingua vocantes. Eandem cum *Atlantibus* brutalitatem de *Abarantibus* memini me legisse (quamvis quidam velint, hos ipsos esse, quos alii *Atlantes* adpellitent,) qui alias eo temeritatis processisse creduntur, ut soli orienti & occidenti maledixerint, fulgentissimumque mundi oculum, quo ceteri mortalium non sine delectatione fruuntur, & à quo recreantur, diris nominibus devoverint. Et ejusmodi homines sunt, de quibus *Pineda* verba *Jobi c. III.8.* intelligit. *Maledicant illi, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.*

§. XXI.

Solicitus itaque ero ordine sic postulante, de ipsis nominibus. Veteres autem, maxime Judæi, operam dederunt, ut liberis non temere aptarent nomina, sed habito ad rei naturam respectu. De posterioribus his non est ut è longinquo exempla petamus, cum res ipsa loquatur, testetur Scriptura S. Sumserunt alias (ut in compendio quodam innumera fere repræsentemus,) nomina vel ab eventu, qui vero vel præteritus, vel præsens, vel futurus; quare nomina propria

pria personarum vel memorialia præteritorum, vel de præsentis rerum
statu monita, vel deniq; omina & vota rei futuræ fuisse videmus; Sæpe
enim imponens alicui nomen portendebat atq; volebat eum talem fo-
re, qvalis nomine significaretur. Exemplorum cum Scriptura S., uti
dixi, sit plena, chartam eisdem non onerabo; interim si quis ordine
congesta legere gestit, adeat Glassium l. c. pag. 952. Sed hic monitum
Merceri in Gen. p. 106. ap. Glassium probe attendendum est: sæpius qvi-
dem factum esse, ut certas causas in impositione nominis Judæi obser-
varent, sed quandoq; neglectas etiam esse clare patet; ideoq; in ne-
glectis, non est ut immodice nos torqueamus, certi qvique ex no-
mine de ejusmodi personis determinantes, cum multis conjecturis lo-
cus sit. Quam egregie decepti fuerint Talmudici, qvòd unice Ety-
mologiæ nominis inhæserint, demonstrat *D. Schikard in Prodromo
Bechinatb Happeruschim p. 118.*

§. XXII.

Prioribus addo observationem *Philonis ap. Montacur.* scriben-
tis: *Vulgus autem hominum, ait, cum rerum naturam ignoret, etiam in
imponendis nominibus erret oportet. Sunt enim, quibus perspicue, tan-
quam ex Anatomia cognitæ propriæ sunt adnexæ denominationes, sunt
autem alia magis confusa, quæ non tam exacta diligentia observantur.*
Hoc certum est qvam qvòd certissimum, quandoq; omnibus aliis o-
missis causis, nomina vel parentum vel agnatorum fuisse imposita;
argumento sit exemplum *Johannis*, antea §. 12. allegatum, in qvo
cognati sententiam matris de imponendo nomine *Johannis* hac ratione
infringere tentabant; ὅτι ἡ δὲ εἰς ἐστὶν ἐν τῇ συγγενείᾳ σ8, ὃς καλεῖται τῷ
ὀνόματι τέτω.

§. XXIII.

Mitto igitur Judæos, ad alias gentes progressurus. Et hic non
possum non mirari mirandam veterum superstitionem, qva vi occulta,
qvòd res nomina sortiantur crediderunt. Hinc distinctio Romanis
solennis inter nomina boni & mali ominis, hinc iidem nomina liberis
indituri Deorum consensum & suffragium adhibuerunt, sacris primum
solenniter factis. Et hac ratione fatalia quædam nomina fingere non
erubuerunt. Pro tali autem habebant in *Cesarum* familia *Cajorum*
nomina, in *Manlia Marci* teste *Livio*. De hac vero superstitione
consule *Ciceronem L. I. de Divin. 102.* Inter alia sic loquitur: Cum
Imperator exercitum, cum populum Censor lustraret, bonis nomini-
bus,

bus, qui hostias ducerent, eligebantur. Idem in delectu militum Consules observabant; ut scilicet primus miles eligeretur, qui habebat bonum nomen. Inter bona autem & auspicata nomina fuisse: Valerios, Salvios, Statorios &c. exofum Nævius, observat Müller. l. c. Desumserunt autem nomina Romani, teste Plutarcho ap. Aretium Tom. I. Probl. p. 571. 1) ab aliqua actione, & huc etiam refert colores, v. g. ab albo *Albinus*. 2) ab adverso casu, hinc *Claudius*, à quo familia *Claudiorum*; 3) à membrorum aliqua singulari affectione, *Capella*, à capillis hirsutis; 4) à statura, ut *Longinus*, quia longus; 5) à virtute, qualis est pietas in parentes, cujus exemplum *Scipio*, qui patrem cœcum pro Scipione hoc est baculo regebat; 6) à ruditate animi, ut *Brutus*, quasi homo stupidus; 7) à nativitate, ejusque variis circumstantiis, ut *Proclus*, qui natus absente patre. His addit nomina, quæ probri loco inferuntur, quæ *Antigoni δόσων* dicti, quod promittendo liberalis, *Pergula*, quia in adulterio deprehensus, veniente marito, in pergulis latuit.

§. XXIV.

Quod Græci, gens alias cultissima, ab hoc errore ne quidem fuerint immunes, vel ex eo patet, quod Athenienses optimam spem de expeditione in Siciliam ex Niciæ nomine, qui eis præerat, sed frustra neam conceperint. Similem in modum nomina civitatum superstitione æstimans Agarenorum quidam Dux, qui cæsus se ipsum incusavit, quod loci ominoso nomine à pugna non abstinuerit. Vide Piccartum Decad. XI. c. 6. Imo in hoc etiam non minimum fuit positum, ut eo loco sceleris poenam postularent, quo fit commissum; quod loci auspiciam secutus Epaminondas, ibi Lacedæmoniis occurrens eosque clade afficiens, ubi Scedasi filias constupratas interfecerant.

§. XXV.

Hic dum fatalitatis circa nomina civitatum creditæ mentionem injicis, non prætereunda sunt verba *Thuani de clade Johannis Fridrici* circa *Mühlbergam*, quæ habet *Dilherrus* l. c. Hic, inquit, exitus pugnae fuit ad *Mülbergam* commissæ, cujus loci nomen viris principibus male ominosum semper fuisse à curiosis rerum Germanarum scriptoribus observatum est.

§. XXVI.

Sed quid accusamus Gentiles? inter ipsos Christianos majorem

rem quandoq̄, quam in Gentilismo, etiam circa nomina invenio superstitionem, si præprimis antecedentia tempora attendam. Testis sit *Chrysostomus*, qui in *Cap. IV. 1. Cor.* sic scribit: *Olim non sine superstitione cereorum accensorum imposita nomina hujus vel illius Sancti; cujus enim cereus diutius arsit, ejus nomen puero impositum.* Huc referri potest illa superstitio, quæ, notante *Müllero*, veteribus erat solentior: *Wo ein Johannes im Hause ist/ da schlägt der Donner nicht ein; und da er gleich einschlägt/ thut er doch keinen Schaden. Daher ist der Name Johannes so gemein worden.*

§. XXVII.

Perfvasum quippe sibi habebant ejusmodi homines, cum nominibus quorundam eventus certos & singulares ex vi quædam occulta vel ratione fatali necessario esse connexos, aliaq̄ pro faustis, alia pro infaustis agnoscenda. Omnem autem fatalitatis rationem in eo posuerunt, ut vel sensum verbi, vel numerum, sive potius valorem literarum attenderent. Utriusq̄ exemplum suppeditat *Galeottus* & ex hoc *Excellentissimus Dnus L. Schmidius, Patronus atq̄ Præceptor meus adusta usq̄, devenerandus in Dissertatione erudita de Fatalitate Nominum.* Est autem inter illa nomen *Aristotelis* (i. e. optimus finis) quem etiam in vita constanter observavit, item *Galenus*, h. e. *Tranquillus*, qui sanitatem aut servans, aut restituens humano generi, tranquillitatem præstitit; nec non *Cæsar*, qui seu ab occiso Elephanto, seu à cæso matris ventre dictus, cædem secum adfert, quam tot millia hominum ab eo sunt perpeffi. Qui ad numerum literarum respexerunt, hanc fovebant opinionem: Quicumq̄ congregentiam alterum vicerit nomine (& in eo valore literarum) vincet etiam gladio. Exemplum hoc est apud *Richterum* in *Axiom. Oecon. Mauritium à Carolo vinci non potuisse, cum vel prima litera majorem valorem quam in toto Caroli vocabulo, indicet.* Vide plures in *Eruditissima jam citata dissertatione ejusmodi fatalitates.*

§. XXVIII.

Quicquid sit; hoc tamen certum est, nomina quædam casu imperiis vel omnibus vel quibusdam exitiosa facta esse; contra vero quædam exoptatissima. Imo quam sæpissime evenit, ut illud nomen, quod regno dedit initium, ejus etiam constituat finem. *Sic sub Dario Hystasse, inquit Richterus Axiom. IV. stabilitum est regnum Persiæ, sub Dario ultimo concidit, Philippus Macedonum regnum confirmavit*

G

Pbi

Philippus ultimus idem dissipavit. Brutus, regibus ejectis, Remp. liberavit, Brutus ejusdem Reip. ruinae occasionem dedit interfecto Casare. Imperium Orientale sub Constantino M. est fundatum, eversum vero sub Constantino à Palaeologorum familia utroq; etiam unam nomine matrem habente, nempe Helenam. Imperium Occidentale in Augusto florere coepit, cum Augustulo, cui notante Svetonio, extorsit imperium Odoacer Rex Herulorum, desit.

§. XXIX.

Sic ergo nomina quaedam vel omnibus, vel saltem aliquibus Magnatum exitiosa habentur. In priori classe nomen est *Philippi*, quod *Richter* omnibus magnatibus nominat infaustum: De hoc *Philippi* nomine ipse *Philippus Melanchthon* ap. *Richterum*: Nul- lum magnum Principem debere vocari *Philippum*, quia ominosum magnatibus sit nomen; præter *Philippum Augustum Regem Gal- liae*, & *Philippum Caroli Burgundi Bellatoris patrem*, qui tamen ma- xima & plurima bella cum labore gesserit, nullum, ulterius infert, se legisse, qui cursum habuerit adeo felicem, *Philippum Macedonem* interfectum esse adhuc juvenem, *Philippum Imperatorem* miserabili- ter occisum, *Philippum patrem Caroli V.* mortuum esse ætate adhuc florente, *Philippum M. Henrici, Ducis Brunsvicensis* filium in præ- lio adversus *Marchionem Albertum* occubuisse, *Philippum Cæsarem* quoq; ab *Ottone Comite Palatino de Witelzbach* in cubiculo suo tru- cidatum. Quibusdam autem regnis fatalia videntur hæc: v. g. No- men *Petri* non adsumunt *Pontifices*, cujus rationem, præter notissi- mam, & hanc audivisse memini: Quod extet propheta ab *Episcopo* *Irlandiæ* data, quæ *Petro II.* clavem Imi tenente, Pontificatui interitum prædicit. *Hispanis* præter *Philippi* nomen inauspicatum habetur *Ju- liani*, maxime ob memoriam *Juliani Septæ Comitæ*, qui regnum *Hispa- niæ Mauris* ob vim filia suæ à *Roderico Rege* illatam prodidit. *Gallia* dolet *Henrici* nomen, præter Primum enim, referente *Thuano*, omnes cruenta morte perierunt. Secundus enim in hastiludio cum *Comite* *Montgomerio*, Tertius in bello civili per monachum *Jacobum Cle- mentem*; Quartus in via per *Ravelliacum* periêre. Sic nomen *Jacobi* *Scotis* auditu est horrendum, quod pleriq; hujus nominis Reges violenta cessere morte; *Sextus* quidem, post & *Angliæ Rex*, sicca morte occubuit, nisi quod pulveraria conjuratio minitaretur incas- sum. De *Serenissimorum Electorum* nostrorum familiae nominibus *Dilherr.*

Dilberrus l. c. p. 655. Job. Fridrici nomen maxime infelix eisdem vi-
deri, *Job. Fridricum à Carolo V. captum*, filium ejusdem nominis & fa-
ti hæredem fuisse, eodem post annos XX die in urbe Gotha captum,
Nepote in exilio extincto. Felicia vero creduntur nomina, v. g.
Ferdinandi Hispanis, Leopoldi (quod & tanta tanto Heroë digna facta
in regnante adhuc Augustissimo Imperatore probant,) *Familia Au-*
striaca, alia aliis. Sed diutius his non inhærebo, cum propositum
meum hac vice non permittat. Adeat autem, qui plura quæ huc per-
tinent, certe utilissima & jucundissima desiderat, *Dissertationem Viri*
Excellentissimi toties citatam, ubi moralitatem simul, sive quid de fata-
litate sentiendum, sufficientem habebit informationem, cum ego sal-
tem historice processerim, *Galeotum in Doctr. Promisc; Galatinum de*
Fatalitate Nomin. Richterum in Axiomat.

§. XXX.

Sed ut in orbem redeamus, exponendum est, qualia nomina su-
is imponere Gentes fuerint solitæ. Et hic non possum non detestari
brutorum illorum hominum *Troglodytarum* morem, qui liberis suis
pecorum nomina dederunt, illa patres matresq; appellantes, ut à
quibus cibum acciperent, quod habet ex *Theodoro Siculo Ursinus.*

§. XXXI.

Caanitæ, notante eodem, studia sua & vota profitebantur nomi-
nibus: *Persæ* longioribus delectantur nominibus, ut *Artaxerxes*;
Græci libenter renovarunt nomina magnorum virorum, id quod o-
stendit *Aretius*. De Romanis jam supra §. 23. Cavebant autem, ne
servus nomine, quo liberi utebantur, insigniretur. Et refert *Sveto-*
nius de Domitiano in ejus vita: Ipsum supplicio affecisse *Metium*
Pomposianum, quod clarissimorum Ducum *Magonis & Hannibalis* no-
minibus servos appellasset.

§. XXXII.

Si in Gallorum inq; viro nomina, placuisse iisdem præprimis
molliora nomina reperio, svadet etiam sequens, quam *Engelgrev.* al-
legat, Historia Scilicet, misit Rex Franciæ, Philippus I. Legatos ad
Alphonsum II Castellæ Regem, ut Delphino, alterutram ejus filiam,
jam nubilem, deposcerent. Obtulit ei *Alphonsus* primogenitam, for-
ma præstantem, *Urracam* nomine. Perculit hoc nomen legatos,
quod asperum id esse crederent, adeoq; etiam Delphino displicitu-
rum. Idcirco quæerunt de Nomine alterius, cujus nomen *Blancæ*
esse,

esse, indicat Parens. Hoc audito, inqviunt: Hæc est, quæ nobis placet, *Urraca Francis* terrori, *Blanca* amori futura est; ad hæc re-gerit Parens, minus formosam hanc posteriorem esse, quam excusa-tionem sic exceperunt: Nomen supplebit. Ita vicit hominis pul-chritudinem pulchritudo nominis.

§. XXXIII.

Quod Germanos concernit, illi omnium maximè Nomina Pe-regrina, sæpius Gentilia, sicut & Itali, in deliciis habent. Et nescio certè quò ingenio sibi persvadeant, illud nomen, quod rarius, esse et-iam gratius, imò dignius. Imponunt item Liberis suis Nomina summorum Virorum, hunc quidem in se non reprehensibilem in eò quærentes finem: ut, nomine audito vitam agant eodem dignam. Ridiculam autem, quam observant Scriptores, Historiam liceat hic obiter referre. Fuit quandoq; in vivis homo quidam de plebe in-erudita, qui tribus filiis quos studio Juridico destinaverat, Summo-rum etiam Juris Consultorum nomina imponere volebat; quare impo-suit primo nomen *Bartholi*, secundo *Baldi*, & tertio deniq; *Codicis*. Audiverat enim simplex ille vir toties ultimum hoc nomen ex ore Eru-ditorum, adeoq; illud summi cujusdam viri esse exinde colligebat; in eandem propterea cum Cardinale quodam classem referendus, qui *Codice* in carceri damnasse fertur.

§. XXXIV.

De nominibus, quæ à gentilibus mutuuntur, quid sentiendum, dicat *Rivetius in Orthodoxo Catholico Tr. III. qv. 8.* existimans: super-stitionem aliquam ambitionemq; præ se ferre talis modi homines; imo refert, se meminisse quod aliquando rejectus sit vanus quidam homo cui cognomen erat *le Grand* & filio suo imponere voluit nomen *Alexandri*. Verba autem ejus, quibus Christiana nomina in primitiva Ecclesia usitata commendat, sunt hæc: *Neminem fugit, quantam adhibeamus diligentiam, ut parentes recens natorum nomina ab iis mu-tuentur, quorum vita in Ecclesia laudabilis, quo ad eorum, quorum no-mina gerunt, imitationem excitentur. Talia enim Christianis melius conveniunt, quam vel ambitiosa, vel superstitiosa Ethnicorum nomina in Ecclesia Romana frequentissima, præsertim ubi quam maxime florent e.g. in Italia Caesar, Pompejus &c. etiam nomina Idolorum, Hercules, Diana, aliq;.* Qui olim suis infantibus martyrum nomina impone-bant, eo testabantur, quanti pro Christo morientes facerent, cui hoc no-mine

mine infantes suos offerebant, quo ostenderent, se eundem suis honorem expetere, si in persecutionibus ad eum vocarentur. Sperabant etiam Dominum testium suorum nomina gerentium curam habiturum. De Johannis Apostoli nomine refert Eusebius l. VII. H. E. c. 20. pag. 202. Quod Johannis temporibus multi etiam gentilium, propter singularem amorem, quo erga illum affecti essent, propter admirationem quam de eo haberent, & propter æmulationem, qua ad illum imitandum flagrarent, & quod à Domino pari ratione diligi cuperent, etiam illam nominis adpellationem affectarint, Johannesq; vocitati fuerint.

§. XXXV.

Quomodo Concilium Nicenum nomina gentilia æstimet, vide Montacutum verba Canonis XXX. (prout editi sunt ab Alphonso Pisano,) referentem: *Ut fideles nomina gentilium filiis suis non imponant, sed potius omnis natio suis nominibus utatur, ut Gentiles suis utantur. Imponantur nomina Christianorum in baptismo secundum Scripturas.* Nec applausum meretur excusatio illa, quam Turrianus in Notis ad Canonem illum profert: *Nomina Gentilium, quando in baptismo imponerentur, v.g. Pompeji, Octavii & similia. Non ut nomina gentilia, sed ut nostra imponi. Quid vero impedit, quæram ex eo, quo minus Christianum eligat, certe non opus esset hoc modo tali abstractione ab origine nominis.* Parum etiam proderit ratio, quam Machiavellus, notante Excellentiss. Schmidio adducit, statuens: *A Christiana religione ignavos & imbelles reddi homines, quia nomina Christianis imponantur hominum imbellium, veluti Petri, Andreæ, Francisci, Benedicti, non Herculis, Achillis.*

§. XXXVI.

Verum enim vero non adeo rigorosi sumus atq; Minister ille Geneviensis qui filiolo nomen Balthafaris, quod gentile esset, indere recusavit, uti notat B. Geierus l. c. ex Beza in vita Calvinii. Ad quod tamen laudatus ille vir respondet, nomen בלזא aut בעלזא tunc temporis per abusum Idolis fuisse tributum, qui tamen abusus usum infringere nequaquam posset; ad hæc si in talibus abusus tolleretur usum, ne Apostolorum quidem nomina, utpote in Pontificatu in meros Deos tutelares deformata, possent adsumi. Ut taceam Gentilium nominibus etiam sciscitabulum aliquod virtutis inesse, (quamvis Christianis ma-

jus tribuam) Ita Aristoteles cavet: ne posteris nomine suo quid indignum relinqueret.

§. XXXVII.

Tale quid etiam Cognomina præstabant, quæ quidem, cum apud diversas gentes sint diversissima, vix distincti aliquid de illis poterit pronunciari; præprimis si Germanos spectes, quam miranda, non dixerim deridenda, cognomina invenies. Hic adstat canis, alibi leo, alio loco serpens, & quæcunq; alia, adeo, ut mihi nondum possim persuadere, quo casu tot tamq; mirabilia cognomina fuerint introducta. Hoc certum est, quandoq; corruptionem cujusdam nominis sensum deridendum expressisse; neq; de eo dubitarem, quod ipsa Agnomina quandoq; etiam transferint in Cognomina, v. g. si parens dictus fuerit à calliditate vulpes, filiis hoc Agnomen pro Cognomine ex consuetudine tribuerunt; idem factum, si pater à timiditate Lepus. Sed hic malo rationes aliorum audire, quas hætenus nondum evolvere licuit, quam meas afferre.

§. XXXVIII.

Ast, quodcunq; etiam nomen habeas, dignam saltem homine Christiano age vitam, nec quicquam nocebit. Intuere singulas creaturas & in singulis occasionem habebis Deum extollendi. Ipse Spiritus S. quando homines officii memores esse jubet, pro argumento assumit exempla animantium irrationalium.

§. XXXIX.

Jam properamus ad Agnomina, quæ, quam varia sint, sequentia exponent quæ excerpti ex Dissertat. proluxa D. Becmanni de Cognominibus Principum. Desumpta autem sunt à Sapiencia, ut *Salomon*, quod Agnomen etiam habuit *Fridricus III Elector Saxoniae SAPIENS*, à singulari Philosophiæ studio, ut *Marcus Antoninus PHILOSOPHUS Imperator*; sic à bonitate dictus *Philippus Burgundus (Caroli Ducis pater) BONUS*; à virtute ipsa, ut *Leopoldus Austriae Dux II. VIRTUOSUS*; à pietate *Ludovicus PIUS Imperator*; à clementia, *Rupertus III. Elector Palatinus CLEMENS*; à castitate *Alphonsus I. Arragonum Rex XII. CASTUS*; à taciturnitate *Rudolphus Habsburgi Comes, (Rudolphi I. Imperatoris pater) TACITURNUS*;

NUS; à sanctitate *Ludovicus* SANCTUS Rex *Gallia*; à patientia
Albertus IV. PATIENS *Archi-Dux* *Austriae*; à munificentia, *Al-*
phonfus III. *Arragonum* Rex MUNIFICUS; à justitia *Casimirus II.*
Rex Polonia JUSTUS; à magnanimitate *Otto* *Heinricus* *Electo* *Pa-*
latinus MAGNANIMUS; à fortitudine *Haldanus III.* *Rex Dania*
 FORTISSIMUS; ab animalibus generosis, v. g. à leone *Heinricus*
 LEO *Dux Mecklenburgicus*, ab urfis *Albertus* URSUS *Marchio &*
Electo Brandenburgicus; à magnitudine rerum gestarum *Wittekin-*
du MAGNUS; ab amore subditorum *Titus* *Imperator* AMOR &
 DELICIAE; à vitiis v. g. simplicitate *Adolphus* *Electo* *Palatinus*
 SIMPLEX; ab amentia *Vladislaus* AMENS *Princeps Lignicensis*;
 ab ignavia *Rudolphus VI.* *Burgundiae* Rex IGNAVUS; à malo ho-
 stibus illato, *Fridricus* *Electo* *Palatinus* *Victoriosus* *der böse Fritz* /
 à crudelitate, *Petrus VIII.* *Rex Portugalliae* CRUDELIS; ab apostata
Imperator Julianus APOSTATA; ab intemperantia *Helioga-*
batus IMPURUS; à superbia, *Tarquinius* SUPERBUS; it. *Henri-*
*cus Saxoniae Bavariae*q; *Dux*; à corpore ejusque crassitie *Carolus*
 CRASSUS *Imperator*; à coloribus, v. g. albo, *Conradi* ALBI duo
Duces Olsnicenses; à nigro, *Henricus III.* *Imperator* NIGER; à ru-
 fo, *Rupertus* RUFUS *Electo* *Palatinus*; à calvitie *Ladislaus* CAL-
 VUS *Princeps Hungariae*; à vitio linguae *Ludovicus III.* *Imperator*
 BALBUS; à gibbo *Carolus VIII.* *Rex Galliae* GIBBOSUS; à rebus
 quæ homini exterius accidunt, v. g. à fortuna, *Eduardus* *Rex Anglo-*
Saxon. FORTUNATUS; à divitiis, *Ludovicus* DIVES *Dux*
Bavariae &c. Et hæc sunt, quæ in compendio quodam ut potissi-
 ma ex dissertatione laudata producere volui, plura una cum allegato-
 rum ratione Historica vide ap. Autorem.

§. XL.

Sic itaq; Nominibus breviter perlustratis ad Finem deniq; Im-
 positionis, circa finem disputationis progredior. Omnium autem
 generalissimus est htc: ut invicem discerni possimus; specialior,
 ut eorum (si clari antea viri eodem condecorati fuerunt) memori-
 am, cum ipsis nominib. veneremur, eorundem etiam vitam imitemur.
 Quapropter male ferens vitia juvenis, cujus nomen Alexander, ipse
 Alexander M. inquit: O juvenis aut nomen muta aut mores. Alius
 erat finis respectu nominum servis impositorum, ut & domini suam,
 quam

quam habebant in servos potestatem iisdem ostenderent, & servi servituti memores, servitia fidelia præstarent. Finis, quem de nominibus in genere notavi, in Cognominibus etiam obtinet. Scilicet discernuntur eo ipso familiae; alii Agnomina posteris invitant, eundem honorem, quem parentes sunt consecuti, ut virtutibus consequi studeant.

§. XLI.

Nomina, inquit *Ursinus l. c.* eum in finem sunt imposita 1) ut essent personarum imagines & notæ, 2) ut eventuum omina, 3) ut virtutum stimuli; sic enim volebant suos ipsis nominibus commovere, ut virtutes colerent. 4) Ut vitæ laudis exemplaria, unde mos ortus, ut nomina familiaria parentum aut majorum retinerentur. Denique (qui finis Christianis maxime proprius) ut fidei & spei symbola; nam ideo dabant Christianis nomina, quo testarentur credere se, nomina suorum in cælo inter hæredes æternæ beatitudinis consignari. His jure optimo addi debet: Ut nomine audito, fœderis baptismalis, quod sibi sancte servandum, pie recordentur.

§. XLII.

A multis enim seculis simul in baptismo imponitur nomen, imò à quibusdam tam necessaria credita est impositio, ut perfectum non æstimarent baptismum absq; ea. Vide hos ap. *Kænigium in Casibus Conscientiæ p. 237.* Quidam cum ipso Novo Testamento hunc morem initium sumfisse existimant, alii ad tempora Concilii Niceni ejus originem referunt. *Casalius de Veter. Sac. Christianorum Ritibus p. 417.* inquit: *Mos dandi nomina in baptismo antiquissimus est: Clemens Papa I. Epist. III. ad omnes Episcopos ait: Si quis fidelis existere voluerit, & desideret baptizari, accedat ad sacerdotem summum, & ipsi det nomen suum, & ab eo audiat mysteria.* Nonnulli Hygini Romani Pontificis temporibus initium constituunt. *Kænigius* autem non credit ante Chrysostrum, quem vixisse dicit ad 390. juxta *Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis p. 77.* præsertim in orientali Ecclesia fuisse in usu. Motus autem est hanc sententiam amplecti verbis *Chrysostrami*, qui meminit moris cujusdam perversi suo tempore inter Christianos usitati, ut infanti nomen imposituri lumina multa accenderent,

derent, suum cuiq; nomen assignantes, puta, unilumini Zofimi ad-
pellationem indebant, alteri Stephani, tertio Procopii; atq; ejus de-
mum, quod ceteris extinctis supererat, nomen arripiebant, pueroq;
indebant, hinc eum diuturnius victurum conjecturantes; certe au-
tem hoc non factum esset, si imposuissent nomina infantibus in bap-
tismo. Sed hæc ratio sufficiens esse nondum mihi videtur fieri enim
potuit, ut in electione Nominum ante Baptismum facta hæc supersti-
tiosas ceremonias observarent,

§. XLIII.

Coronidis loco de mutatione nominis aliquid addam, cum ean-
dem sæpius factam esse & sacræ & profanæ testentur paginae. Muta-
ta autem sunt in Scripturis v.g. *Abrabami, Gen. XVII. 5. Saræ v. 15. Ja-
cobi Gen. XXXII. 28. it. XXXV. 10. vide Glass. l.c.* Sed has mutationes
tum adduco, laude simul deprædico, quia singulares Deum ad id mo-
vebant rationes. Sed an hæc mutationes mutationibus Pontificiis ar-
gumentum aliquod suppeditent, valde dubito; sicut & exempla eo-
rum, quibus Jesus superaddidit nomina parû proderunt ad excusatio-
nem facti; alia enim est, uti supra notavi, mutatio facta à supremo do-
mino, alia, quam tentat ipse servulus Domino inconsulto; aliud est
novum nomen certa de causa superaddere, aliud est vetus baptismale
omnino abrogare, quod tamen citra injuriam fœderis baptismalis fieri
haud quaquam potest, cum hoc modo dominium vetus quodammo-
do abnegetur, tabulæq; civium cœlestium corrigantur. Hinc merito
Montacutus reprehendit eum, qui in baptismo Josephus vocabatur,
si profiteatur in societate Jesu, Arthurus demum adpellari velit, non
Josephus, quasi aliquam vitæ professionem Christianismo excellenti-
orem & perfectiorem invenisset, quasi nomen dare societati majori me-
rito commendetur, quam dedisse Jesu. *Nomen enim, pergit, bap-
tisma-
le depositum in professione, nunquam deinceps, quod sciam, adsumunt, sed
illo rejecto & ab renunciato professionis nomini adhaerescunt.* Mutant &
nomen plerumq; illi, qui ad castra Pontificiorum transfugiunt, veluti
Wenceslaus Rex Bohemiæ post assumptam fidem Papalem *Carolus* est di-
ctus, *Autore Æn. Sylvio in Hist. Bobem.* Sic anno à nato Christo 1602
sub *Clemente IX.* Romæ quidam è *Calviniana* Schola, nomine *Justus*
Calvinus, abjecta fide parentum, dictus fuit *Justus Baronius*, à Cardi-
nale *Baronio* hujus apostasiæ autore, sed ultimum hoc non Baptismale
sed Cognominis titulo venit.

D

§. XLIV.

§. XLIV.

Quo in pretio B. Lutherus habuerit nomen baptismale, ex eo patet, quod vel levissimam ejus immutationem, nedum abolitionem, inter signa certissimæ à Christo & baptismo suo defectionis retulerit. Vide Tom. XI. Witteb, super cap. XXXVI. Gen. p. 328.

§. XLV.

Sed nec omnis mutatio est prohibita, recte enim fecerunt veteres ad Deum conversi, quod nomina, quæ Gentiles acceperunt ab Idolis, abjecerint, in eorum locum adsumtis vel ex V. vel N. Testamento nominibus. Huc referunt nonnulli verba *Zacharie* cap. XIII. 2. *Auferam nomina Idolorum.* Hic obiter annecto illud, quod in Familia Fürstenbergiorum quidam fuerit, qui nomen suum mutavit. Habet autem hæc *Jacob Wilhelm in Hoff in Libro de Notitia S. R. I. Germanici Procerum l. VII. c. 3. §. 8.* Verba ejus sunt sequentia: Ferdinandus Rudolphus Comes in Fürstenberg, (quem eundem esse, qui Rittershusio Johann Martinus audit, accepi,) Nomen suum mutavit, rationem autem, ob quam, non expedio.

§. XLVI.

Ridiculam mutationis rationem de Judæis habet *Glassius ex Buxtorfio*: Moris sc. esse inter Judæos, ut gravi ac diuturno morbo laborantes, in summo ejus incremento, nomen quod prius habebant, mutant, novumque adsciscant, quod dein per totam vitam retinent. Quo facto statuunt mutationem simul morbi vel ad vitam vel ad mortem fieri. Recensetur autem ab illis hæc mutatio nominis inter signa penitentiae, quæ talis vult testari: se una cum nomine vitam & actiones suas in melius commutaturum, ita, ut plane novus ac alius homo videatur.

§. XLVII.

Quod Cognomina attinet, neque horum mutatio, nisi rationes adfuerint sufficientissimæ est probanda, cum talismodi homo mutans cognomen peccet in memoriam parentum, rejiciendo illud nomen, in quo forte illi maximum decus ponebant.

§. XLVIII.

Sed ne omisisse aliquid videar de Impositionis tempore paucis adhuc aliquid monebo. Facta autem est ap. Judæos una cum circumcissione

cisione die octavo. De sœmellis vide Müllerum l.c. Græci nomina recens natis imponebant decimo die, quamvis non semper, sed quandoq; etiam septimo. Quod Romanos concernit, erat illis dies, quem vocabant lustricum apud pueros nonus, puellas octavus; cujus differentia hanc rationem addunt: quod puellæ prius quam mares auferentur, adolescerent, vigorem & absolutionem consequerentur. Quamvis etiam credunt nonnulli, quod sæpius dies tertius fuerit lustricus, qui dies sit institutus ab Antoninio Pio, vide *Aretium* l.c. Quod vero ex *Capitolini* verbis, ex quibus desumptam esse dicit sententiam hanc posteriorem *Kœnigius*, colligi nequit; ita autem sonant verba prout sunt ap. *Kœnig*. *Antoninus jus sit unumquemq; civium natos liberos profiteri apud Præfectos Ærarii intra diem tricesimum, nomine imposito. Scilicet non imponebatur nomen, sed profitebatur saltem, non tertio, sed intra tricesimum diem.* Actum autem lustrationis asperzione factum esse evincunt verba *Ovidii* l. *Metamorph.* v. 371.

*Inde ubi libatos irroravêre liquores,
Vestibus & capiti flectunt vestigia Sanctæ
Ad delubra Deæ.*

§. XLIX.

Antequam dissertationis finem faciam, de Turcis placet adhuc notare, quod nomina non indant die circumcisionis, sed die natali, quo in lucem eduntur. De eorum autem circumcisione egregius extat locus apud *Kœnig*. ex *Bartholomæo Georgieviz Peregrino in Epitome de Turcarum moribus*, ubi hæc verba: *Utuntur Turcæ circumcisione non octavo die more Judæorum, d. quamprimum natus septimum aut octavum annum exegerit sermonis jam peritus: idq; ipsis mysterium est propter verba confessionis, quæ ante circumcisionem requiruntur erecto pollice manus: hæc videlicet, quæ alias in templis eorum descripta extant: Non est Deus, nisi unus, Mehemeth autem Prophetæ ejus, creator unus & Prophetæ æquales! puer tamen ob id non defertur in templum sed in domibus parentum circumciditur. Solenniter ita se habet: Primo convocatis amicis ad convivium, quibus satis delicata parantur fercula ex omni genere carniûm, quo ipsis vesci licet, & passim, (ut apud ditiores) bos cæditur: in hunc excoriatum & exenteratum includunt ovem, in quam gallinam & in illam ovum, quæ integre assantur ad splendorem*

91
116
121

dorem illius diei. Deinde inter epulas tempusq; cœne adducitur puer circumcidendus, cuius medicus illius artis glandem retexit & replicatam pellem forpiculis adprehendit: Deinde, quo metum adimat puero, ait: Se in proximum diem peracturum circumcisionem, atq; ita discedit; mox simulans quasi omissum aliquid esset, quod ad præparationem attinet, ex improvise præputium abscindit, vulnere parum salis & bombastini adponens: jam vocabitur Muselmann, i.e. circumciscus.


§. L.

Et hæc sunt B. L. quæ de impositione Nominum ex iis, qui ad manus fuerunt, Autoribus congesti, quæ si bene consules me incitabis meliora, si Deus vitam atq; vires concesserit, Tibi exhibere. Huic autem summo DEO fit laus, honor atq; gloria.



1017

227



B.I.G.

Farbkarte #13

QW. 532, 24.

I. N. J.
De

B. m. II, 6. u. 9

II b
12

IMPOSITIONI NOMINUM,

X 1860580

Inclutæ Facultatis Philosophicæ

• Consensu,

PRÆSES

M. JOHANN-GEORGIUS

FRANCK,
ILEBURGENSIS,

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

&
RESPONDENS

JOHANNES BOSSEK,

Gaudic-Misn.

Phil. & B. A. Baccal. & SS. Theol.
Stud.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

disputabunt.

Die XIV. Decembris Anno M. DC. LXXXIX.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,

Excudebat CHRISTIANUS SCHOLVINUS.

9 57.